Quelle: http://manuscripta.at/?ID=887
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et · 9 · provenient per eandem euclidis penultimam primi · 16 ·
est duplum ad · 9 · / sed quia 16 est duplum ad · 8 · ideo
per quem conceptionem scilicet quecunque uni et eidem sunt eadem inter
se sunt eadem / 9 · et · 8 · erunt equalia scilicet superhabundantia
erunt equalia perfectis

Date figure trilatere cuiuscunque / latus tetragonicum invenire /
latus tetragonicum dicitur illud / quod si in se ducatur constituit
quadratum equale figure date / Si igitur data figura trilatera
fuerit multiangula ipsam ut facit Campanus in commento
· 32 · primi euclidis / aut figuram que tibi figura occurrit / in triangulos
ductis hincinde / ab angulis eius lineis resolve /
Et cuiuslibet trianguli per penultimam 2i euclidis quadratum equale /
singillatim quere / Radix vero est latus quadrati huiusmodi / est
latus tetragonicum trianguli illius cui quadratum equale invenisti /
Dum in omnes triangulos in quos data figura fuit resoluta
sic ut predictum est cuiuslibet singillatim latus tetragonicum
inveneris ea in unum latus tetragonicum omnia sic coniunges /
Sit verbi gratia latus primi · a · b · / 2i · b · c · / 3ii · c · d · etc.
igitur applicabo · b · c · orthogonaliter cum · a · b · / et protraham
lineam · a · c · per penultimam primi euclidis / latus · a · c ·
est latus tetragonicum primi et 2i triangulorum deinde iterum
cum linea · a · c · coniungam orthogonaliter lineam · c · d · / et protraham
lineam · a · d · / et per eandem erit linea · a · d · latus
trium triangulorum etc. / si plures habueris Et latus ultimo
repertum est latus tetragonicum figure date / quod latus
si quadraveris habebis quadratum figure date equale etc.